



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

12 Loca Romanae Ecclesiae ad cameram Apostolicam devolvuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

vivit? nemo potest queri, quia captivi redempti sunt, nemo potest accusare, quia templum Dei est ædificatum, vel cœmeterium ampliatur, quia in alimonia pauperum, redemptione captivorum, ædificatione templi, vel augmentatione cœmeterii, possunt bona Ecclesiæ alienari. *cap. sacrorum & cap. aurum.* & ibi gloss in *ver. in his d. q. 2. Fed de Sen. cons. 224. num. 5.* Et gloria Episcopi est pauperibus providere, ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis. *cap. gloria* ¶ *Episcopi ead. q. 2.* & pluribus aliis de causis possunt bona ecclesiastica certo modo & in subsidium, quando necessitati aliter succurri non potest, alienari, de quibus per *Rebuff. in suo compend. alien. rer. eccl. a num. 25. usque ad num. 34.* & per *Red. q. 11. 12. 13. 19. 20. & 21. eod. tit.*

¶

Et, quoniam dominia ¶ civitatum, & castrorum S. R. E. propter custodiam, & præsidium in eis maxima cum impensa<sup>12</sup> manutendendum magis damnosa, quam utilia, quandoque dicebantur, propterea, adhibitis solemnitatibus juris, plura in feudum fuerant concessa, quæ, si tractu temporis ad Ecclesiam devolvebantur, iterum de novo aliis sine solemnitate concedebantur, quia eadem causa prima durare videbatur, & ultima investitura non judicabatur nova alienatio, sed prioris infeudationis continuatio *cap. consuluit. de iude. & Sarrac.* & ibi *Abb. num. 1. Felyn. inc. cum accessissent. n. 33. de cons. & Red. de reb. eccl. non alien. q. 12. num. 59.* Sed, cum postea experientia docuerit, nonnullos nimium ambitiosos, & dominandi cupidos

sub variis prætextibus, coloribus, & eausis sæpe etiam falsis, aliquibus Romanis Pontificibus, suggestionibus, & insinuationibus suis conatos esse ostendere, & persuadere, magis utile, & expediens Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sedi Apostolicæ fuisse, si aliquæ civitates, terræ, oppida, castra, arces, & loca, ad jus, & proprietatem ejusdem Sedis pertinentia, in feudum, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut aliàs ad longum tempus concederentur, vel etiam ex eo, quod aliàs in feudum data, aut quovis alio titulo hujusmodi alienata fuissent, & ad sedem præfatam devoluta, vel devolvenda, de jure iterum infeudari, & alienari non posse, & debere, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes, & concessiones à Sede Apostolica emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem patrimonii, & existimationis recepit;

¶ Pius V. motu ¶ proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, atque de S. R. E. Cardinalium in consistorio secreto consilio, & unanimi assensu, qui etiam jurarunt constitutioni non contravenire, nec Pontificibus alienationes contra suam constitutionem attentantibus consentire, & absolutiones à juramento prædicto non petere, nec acceptare, sua perpetuò valitura constitutione deerevit, & declaravit, civitates, & loca præfata hæcenus in feudum, aut quemvis alienationis titulum dari solita, vel consuetata ad Sedem prædictam quomodolibet devoluta, & pro tempore devolvenda, absque alia ulteriori declaratione, & illorum possessionis apprehensione, eo ipso Sedi,

Sedi, & camera Apostolicæ incorporata, ac ad jus, proprietatem, & dominium pristinum, ac possessionem rediisse censei, perinde ac, si per 40. annos & ultra civitates, & loca præfata, ab eadem Sede immediate possessa, & nunquam in feudum, aut alium titulum concessa fuissent; Statuitque, & decrevit, quod omnes, & singulæ, tam communitates, & universitates, quàm cives, & incolæ civitatum, terrarum, & locorum præfatorum, alæque quæcunque personæ, tam ecclesiasticæ, quàm seculares cujusvis dignitatis, & ordinis etiã Episcopalis, vel majoris existentes, ac S. R. E. Cardinales, tam publice in consiliis civitatum, & locorum præfatorum, quàm privatim alibi in quibusvis locis, etiam si civitatum, & terrarum earundem Gubernatores, aut Sedis Apostolicæ Legati, vel Prolegati existerent, tractantes, consulentes, aut alia verba facientes de infeudationibus, & alienationib<sup>9</sup>, de civitatibus, & locis prædictis immediatè ad Sedem prædictam spectantibus, & pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter, & pluries dari solitis, etiam ex causa permutacionis, vel sub annuo censu, aut canone, seu aliâ quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem præfatam, aut sub prætextu necessitatis, vel evidenter utilitatis faciendis, seu de postulandis ac eodem Pio, & Sede prædicta, quibusvis personis cujusvis dignitatis, status, gradus, etiam eidem, & successoribus suis secundum carnem conjunctis, etiam S. R. E. Cardinalibus, aut quavis alia temporalis, vel ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, seu quemvis alium titulum, ad vitam, vel in perpetuum, vel longum tempus, aut etiam ad Sedis Apo-

stolicæ beneplacitum, civitatum, & locorum prædictorum, & propterea de eligendis oratoribus ad ipsum; & successores suos super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponentes, tam ipsi, quàm oratores tale munus recipientes, aut alii quicumque alienationes hujusmodi Rom. Pont. pro tempore existenti, per se, vel per aliû, seu alios in annuantes, vel suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrere voluit, à qua, nisi ab ipso Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolvi non possent.

Et insuper S. R. E. & Sedis Apostolicæ prædictæ rebelles, etiam in primo capite læsæ Majestatis, & proditores civitatum, & locorum prædictorum, ac bona eorum fisco, & camera Apostolicæ ipso jure devoluta, & incorporata esse & censei, omnibusq; ecclesiis, monasteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis beneficiis ecclesiasticis eo ipso privatos, & ad illa, & alia in posterum obunenda inhabiles existere, neque ad civitates, & loca prædicta ullo unquam tempore remitti posse, & si aliquando eos reintegrare contingeret, nihilominus infames remanere, illisque bonorum, & dignitatû portas perpetuò claudi statuit, & decrevit. Voluitque per futuros pro tempore Cardinales in assumptione pilei, de dicta constitutione, quantum in eis erit, observanda, illiq; non contraveniendo, nec Pontificibus contravenire volentibus consentiendo, ac absolutione à juramento præstito non petenda, juramentum præstari debere. Et, occurrente Sedis Apostolicæ vacatione, in conclavi, quod Cardinales de inviolabiter dicta constitutione observanda, per quemlibet eorum qui in Ro. Pontificem eligeretur: & postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus,

assumptus, post ejus assumptionem, hoc ipsum promittere, ac jurare, & deinde post coronationem suam promissionem, & juramentum hujusmodi, per litteras suas speciales dictæ constitutionis confirmatorias reiterari debere mandavit, ut in eadem constitutione, sub. dat. Rome Anno. 1567. quarto Kalend. Aprilis. in Bull. Rom. c. 35. quæ postea fuit à Gregorio XIII. ut in eodem Bull. cap. 1. & per Sixtum V. etiam in d. Bull. trio. cap. 1. confirmata, & innovata.

23 Verùm, quia Dux † Alphonsus Estensis, qui Ducatum Ferrariæ à Sede Apostolica in feudum obtinebat, & liberis carebat, de Anno 1590. mense Augusti ad Gregorium Papam Decimumquartum accessit, à quo supplex petijt, investituram in ejus personam factam, in aliam personam ejusdem familiæ in eadem investitura non comprehensam prorogari, cum causa esset ardua. Gregorius Pontifex verba fecit in consistorio secreto, ut moris est cum sacro collegio Cardinalium, in quo exposuit requisitionem ejusdem Ducis, aperiendo desiderium suum fore, Ducis petitioni annuere, si ei jure medio sine juriurandi, & dictæ constitutionis violatione liceret. Aiebat enim jure ordinario, non autem de potestatis plenitudine investituram in aliam personam, si id jure fieri posset velle prorogare. Et licet quidquid  
14 Romana Ecclesia † statuit, vel ordinat perpetuò, & irrefragabiliter ab omnibus debeat observari c. sic omnes. cap. enim verò. 19. dist. cap. quæ ad perpetuam. & c. nulli fas. 25. qu. 1. nihilominus de plenitudine potestatis in aliam personam investituram extendere potuisset, cum Papæ † nemo dicere possit, cur ita facis? cap. quamvis juncta

gloss. ibi. Deo, vel Papa. de pæn. dist. 3. cap. si quis suadente, in fin. & cap. nemini 17. qu. 4. Inn. in cap. dudum. il. 2. num. 16. de elec. & Abb. in cap. extirpanda. in repet. §. qui verò. nu. 44. de preb. Nec fuissent impedimento juramenta per Papam præstita in promotione ad Cardinalatum, in conclavi, & post illius assumptionem ad Pontificatum, ad præscriptam dictæ constitutionis formam, quia † quamvis Papa subiciatur vinculo iuramenti. Abb. in c. 1. nu. 7. de confit. & ibi Felyn. n. 33. & dubitetur an seipsum possit absolvere ex allegatis per Felyn. ibi versic. & graviter alteri tamen, qui ipsum absolveret, facultatem absolventi committere potuisset, ut tenet Abb. & Felyn. locis supracitatis, quia Papa † est solutus legibus, & supra jus positivum dispensare potest Abb. in dist. repetit. §. qui verò n. 44. & Felyn. in dicto c. 1. nu. 34. de constitut. & idem Abbas in c. per venerabilem. nu. 22. vers. constat autem, qui sit sint legitimi dummodo subsit legitima causa, quia † sine causa neminem à juramento absolvere potest. Innocent. in cap. cum inter. in fin. de renunc. & ibi Abbas numer. 9. nec seipsum idem Abb. in cap. proposuit. numer. 13. de concess. preb.

Propterea Papa Cardinales prosequenti Consistorio monuit, ut quilibet se pararet pro voto suo explanando, in quo consistorio difficultas restricta fuit, an casus, de quo quærebatur, esset comprehensus in constitutione Pij Quinti, qua prohibentur, feuda Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devoluta, & pro tempore devolvenda de novo infeudari posse: Deducebatur, feudum hæcenus non devolutum, & ideo, casum non dum advenisse nec obstare constitutionem, quoniam investituræ  
ad